



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 476. De iugeribus traditis in villa Balleri intra marcam Suilbergi, nec non  
de libertate ecclesiæ et territorii Corbeiensis, ad diœcesin  
Paderbornensem non spectantis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
1014 usq;  
que 1037  
regnante  
Heinri-  
co II.

§. 476.

Tradidit bernharius pro se et filio suo bernhario in *balleri* (u) LXXXIII.  
iugera et I iurnalem.

§. 477.

De villa  
*Balleri*  
in pago  
Sulbergi.

(u) Villam *Balleri* fuisse positam in *marca Sulbergi*, refert Saracho abbas in Registro. Facile iudicatu est, designari villam, quæ supra §. 393 nominatur *Balleri* et dudum est desolata. Ab hac villa *Balleri* non procul absunt locus *Hechi*, in quo Corbeienses nostri primum ædificare cœperunt monasterium suum. Inde autem ipsi, quia locus minime aptus erat fructibus ferendis, migrarunt in pagum Auga ad *Wiseram*, vbi templum et habitationes fratrum anno 822 condi cœperunt, locumque nouam appellarent Corbeiam. Perhibet auctor *Translationis S. Viti et institutionis nouae Corbeiae* T. I. S. R. G. Meibomii p. 765. locum *Hechi* ad diœcesin spectasse Paderbornensem. Cum enim *Adalardus junior* anno 815 accessisset ad imperatorem Ludwicum, qui comitia habebat in Saxonia et quidem in loco, qui dicitur *Patherbrunna*: eumque rogasset, ut in incrementum christiane religionis in eadem prouincia monasterium monachorum construi iuberet; *Cæfari* placuisse refert, arcere episcopum *Hathumarum*, ad cuius diœcesin locus, vbi construendum videbatur monasterium, fuerit relatus, ut id cum eius fieret imperio et voluntate. Sed hæc ita comparata sunt, ut in eis prorsus fide indigenus sit auctor, qui illam *S. Viti translationem* composuit. Anno enim 822 nullus abbas *Adalardus junior* in veteri Corbeia erat. Non ergo *Adalardus* ad imperatorem accedere potuit Paderbornam, neque ab eo petere, ut mandatum daret cuiquam de confruendo monasterio in prouincia Saxonica. *Hathumarus* episcopus eodem tempore amplius in viuis non erat, ut ex ipsis Paderbornensium scriptis in *Historia Corbeiensi* demonstratum iuimus. Quamobrem confessione sua laudare non poruit *Hathumarus* constructionem monasterii Corbeiensis, in partibus Saxonie siti. *Moguntini* itidem non contendunt, locum, in pagis *Sulbergi* et *Logne* situm, fuisse diœcessos Paderbornensis. Finge tamen, eos concessuros esse, locum *Hechi* spectasse ad Paderbornensem diœcesin, inde tamen non sequitur; villam *Huxori*, in qua *Adalardus senior* anno 822 nouam Corbeiam costruxit, ad Paderbornensem diœcesin fuisse relatam. Paderbornensium est, genuinis diplomatis, vel testimonis scriptorum coætanorum demonstrare, *Carolum Magnum* vel *Hlodouicum* pium Paderbornensem diœcesin circumscriptisse, terminisque seu limitibus sue diœcessos inclusam esse abbatiam Corbeiensem. Hoc non demonstrato credimus, abbatiam Corbeiensem cum territorio, ad eam adiuncto, nunquam fuisse diœcessos Paderbornensis. Ex auctore *Translationis S. Viti* id, quod volunt, demonstrare non poterunt Paderbornenses. Ita auctor omnino suppositius nullaque fide dignus. Perhibet idem l. c. p. 766. Corbeienses nostros anno 822 die 25 Sept. a loco *Hechi*, vbi eousque habitauerint, cum omni suppellestili sua surrexisse, et demum die 26 eiusdem mensis venisse ad Corbeiam nouam. Idem p. 768 refert, se corpus *S. Viti*, e Francia in Saxoniam translatum, comitatum esse, et cum multitudine viriisque sexus eaque nobilissimi Saxonum generis tandem ad monasterium, quod noua Corbeia dicitur, peruenisse. Eo ipso nobis idem persuadere voluit, se fuisse Corbeiensem. Homo Corbeiensis sine vlo dubio, *Corbeiam* nouam ad flumen *Wiseram* ab *Hechia* in saltu *Sollingano* sita, rantium absuisse iter vnius horæ, noeisset. Locus ille usque in hodiernum diem satis notus est. Monstratur ibi *pratum Abbatir*, dictum die Abtwiese, die Münchebreite, der Closterreiche, das Closterholz i. e. *pratum, Monachorum campus, piscina et filia monasterii*. Atque hæc siæta non esse, demonstrat diploma Bernhardi atque Heinrici ducum Brunsvicensium ac Lunenburgi, in quo adhuc anno 1416 meminere prati abbatis. Auctor vero *Translationis S. Viti* nobis persuadere ausus est, *Corbeiam* nouam absuisse a loco *Hechi* duorum iter dierum. Scribere an hæc potuisset monachus Corbeiensis? Nonne credamus oportet, eum fuisse impostorem? In eo fuit, ut scripto suo glaucoma obiiceret posteritati, ac persuaderet alis, Corbeiam nouam fuisse ab initio sitam intra Paderbornensem diœcesin. Nonne auctor ille Corbeiensium inimicus fuit? Plura de eo diximus in *Historia Corbeiensi*.